



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

Qualiter instante tribulatione Deus inuocandus est, & benedicendus. 29

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

ce. Ex inordinato amore, & vano timore, oritur omnis inquietudo cordis, & distractio sensuum.

CAP. XXIX.

Qualiter instante tribulatione, Deus invocandus est, & benedicendus.

Seruus. I **S**It* nomen tuum (Domine) benedictum in sacula: qui voluisti hanc tentationem & tribulationem, venire super me. Non possum eam effugere, sed necesse habeo ad te confugere: ut me adiuues, & in bonum mihi conuertas. Domine, modò sum in tribulatione, & non est cordi meo benè, sed multum vexor à præsenti passione. Et
Mat. 26 nunc, Pater dilecte, quid dicam? Deprehensus sum inter angustias. Saluifica me ex hora hac. Sed propterea veni in hanc horam, ut tu clarificeris, cum fuero valdè humiliatus, & per te liberatus. Complacere tibi Domine, ut eruas me: nam ego pauper, quid agere possum, & quò ibo sine te? Da patientiam Domine, etiam hac vice. Adiuua me Deus meus, & non timebo quantumcumque grauatus fuero.

2 Et

2 Et nunc inter hæc, quid dicam? *Matt. 4.*

Domine, fiat voluntas tua. Ego benè merui tribulari, & grauari. Oportet utique, vt sustineam: & vtinam patienter, donec transeat tempestas, & melius fiat. Potens est autem omnipotens manus tua, etiam hanc tentationem à me auferre, & eius impetum mitigare: ne penitus succumbam, quemadmodum & priùs sæpiùs egesti mecum, Deus meus, misericordia mea. Et quantò mihi difficilius, tantò tibi facilius est, hæc mutatio dexteræ excelsi.

CAP. XXX.

De diuino petendo auxilio, & confidentia recuperanda gratia.

1 **F**ili, † ego Dominus, confortans in die tribulationis. Venias ad me, cum tibi nō fuerit benè. Hoc est, quòd maximè consolationem impedit cælestem, quia tardiùs te conuertis ad orationē. Nam antequam me intentè roges, multa interim solatia quæris, & recreas te in externis. Ideoquæ fit, vt parum omnia profint, donec aduertas, quia ego sum, qui eruo sperantes in me: nec

Dominus.

Nabum

1.

Mat. 11